



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Problema XIX. Quoties & Quando obliget præceptum Divini Amoris?
Dominica XVII. Post Pentecosten. Diliges. Matth. 22. v. 37.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XIX.

Quoties & Quando obliget præceptum Divini Amoris?

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

Diliges. Matth. 22. v. 37.

§. I.
Magis a-
mant DE-
um Viato-
res quam
Compre-
hensores.
ex tract.
ult. S. Aug.
in Joan.

Paradoxum quid attulisse videbor hodie, si dixerò, magis DEUM in terra quam cælo diligi; est nihilominus indubitata hæc D. Augusti doctrina, magis Deum à Viatoribus quam comprehensioribus adamari. Cum enim Sanctus hic Doctor vitam mortalem & immortalem in duobus discipulis Petro & Joanne adumbrari docuisset, quorum alteri dicitur: *tu me sequere in Cruce & tribulatione*, de altero verò pronuntiat: *sic eum volo manere in statu bonorum omnium perfecto*, augustam hanc profert sententiam: *propterea nos tunc eum minus dilecturi sumus in vita immortali, quando meliores erimus, cum meliores utique nisi amplius eum diligendo nullo modo, esse possimus. sicut enim Joannes qui vitam æternam significat minus Petro dilexit, & magis Petro dilectus est, ita minus in cælo electus diligit, etsi amplius à Christo diligatur.* at quo ex capite minus diligere censendus est? quia amor comprehensoris necessarius, viatoris verò est liber, ideoque hic capax meriti, expers ille; amor viatoris ob perfectæ cognitionis defectum difficilis, comprehensoris autem ob

claram DEI visionem facillimus. amor beati absque dolore & cruciatu est, amor verò hominis mortalis quotidianâ mortificatione velut aurum in fornace probatur. *ideo misericordiam Domini, quam nobis de miseria liberandis exhiberi volumus, plus amamus, eamque quotidie maxime pro peccatorum remissione poscimus & habemus. hoc per Petrum significatum est plus amantem, sed minus amatum, quia minus nos amat Christus miseros, quam beatos. Veritatis autem contemplationem, qualis tunc futura est, minus amamus, quia nondum novimus, nec habemus. hæc ergo per Joannem significata est minus amantem, sed plus amatum, quia id quod per illum figuratum est, hoc efficit beatos.* Hucusque Doctor Hipponensis. Verum etsi ex hoc capite amor Petri sive Viatoris laudabilior censeripotest, quam Joannis seu comprehensoris, ex aliis nihilominus rationibus in immensum perfectior beatorum amor esse, convincitur, quam terrogenarum, inter quas ultima non est, quod Cœlestiû amor interruptus non sit, sed continuus, totisque ex viribus procedens, amant enim quantum possunt, & quamdiu possunt, at verò amor noster remissus & interpolatus est. quotusquisque enim Deum

DEum interdium (de nocte taceamus) diligit, non dico horâ integrâ, sed vel integro horâ quadrante? quot sunt, qui neque tunc DEum diligunt, quando sub lethifera noxa amare tenentur, etsi rarè admodum & non nisi tribus vicibus, ut breviter dicturus sum, sub æternæ mortis reatu amare teneantur.

S. 2.
Cor DEO
offerendum.

Vulgatissima Historia est de Eremicola ardentissimis DEum interpellante suspiriis, dignaretur sibi revelare, quid sibi agendum sit ad salutem securissimè obtinendam? talia oranti transformatus in Angelum lucis dæmon apparuit, dixitque auditas esse supplicis preces, seque ideo missum, ut compendio viam Salutis edoceat. Tria inquit donanda DEO sunt: nova Luna, totus Sol, Caput Romæ. novam Lunam, Solem totum & urbis Romanæ caput DEO offer, & salva sunt omnia, ex his si vel unum desit, oblatio est nulla & salus impossibilis. stupuit eremicola & moto capite judicavit hæc esse impossibilia, adeoque desperare cœpit de salute. sed misertus DEus miseri, submitit verum Angelum, à quo doctus est Eremicola, priorem fuisse tenebrarum genium, qui quamvis rem primâ fronte impossibilem proposuerit, reverà tamen facillimum quid & prorsus necessarium protulisse. Tria illa designant COR. Luna nova format literam C. Circulus, Solis designat literam O, per Caput Romæ intelligitur litera R, & hæc tria Conjuncta COR significant. per Cor autem exercitium divini amoris exigitur, hoc enim est primum & maximum mandatum, diligere Deum ex toto corde, anima, mente, donando illi voluntatem, intellectum, & memoriâ. hoc verò præceptum nos primum obligat in adolescentia, deinde in omni graviori

tentatione, demùm in articulo mortis.

Plena mysterio est illa devotæ animæ sententia Cant. I. v. 2. *oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te.* dilectionis causa est olei effusio, & quid sibi vult hoc oleum? illuminatissimus Ludovicus de ponte lib. I. exhort. 31. per oleum intelligit divina beneficia in creatione, redemptione, speciali vocatione unicuique collata quæ si ritè expendantur, impossibile est, non amare DEum. Unde & Cœlitum amor non est liber, sed necessarius. quamdiu recens fuit memoria creationis mundi, nulla potuit esse idololatria, *neque erant ab initio idola* Sap. 14. *propter recentem memoriâ creationis mundi* ait S. Thomas. quamdiu recens fuit memoriâ redemptionis mundi, homines erant Sanctissimi, ad omnem cruciatum pro Christo paratissimi, ab omni peccato alienissimi, ut patet ex Actis Apostolorum in primis Christicolis, quia videlicet oleum effusum, ideo adolescentulæ, sive tales animæ, quæ habent recentem memoriâ, dilexerunt. & quid hoc vult *adolescentulæ?* non omnes homines promiscuè, sed tantùm adolescentulæ? libenter illas aulæ cœlestis Herulas nôssent! existimant quidam peritiores lingvæ Hebraicæ, quod per adolescentulas intelligantur illæ virgunculæ, quæ spretis deliciis & divitiis, magnificis Hymenæis & officiis, spebus & rebus divinis se obsequio mancipârunt. SS. Bernardus & Anselmus interpretantur omnes incipientes in virtute, seu qui sunt in via purgativa. SS. Gregorius & Ambrosius volunt illos intelligi, qui positâ vitiorum & antiquorum Habituum fenestâ renovati sunt in baptisate vel Sacramento pœnitentiæ, qui omnes dum beneficia divina mente versant, cogi se

S. 3.
Recens
memoria
divinorum
beneficio-
rum cogit
ad aman-
dum.

S. Thom.
2. 2. q. 94.
2. 2.

fen-

sentiant, non trahi tantum, ad-
mandum tam bonum DEum, quo
impossibile est melius quidquam
fingi. Adolescentulæ sunt omnes
in virtute constantes animulæ, quæ
videlicet non veterascunt vitiis, fi-
cut Angeli adolescentium specie ef-
figiantur; adolescentulæ sunt, quot-
quot DEum nunquam graviter of-
fenderunt, nec contra primum e-
gère mandatum, & hoc collige ex
verbis: *dilexerunt*, nec enim abs-
que causa dictum est: *dilexerunt*,
non *diligunt*, vel *diligent*, non quod
DEus non sit omni ætate, omnique
tempore amandus, sed quod sit a-
mandus in adolescentia, quàm pri-
mum quis perfecto usu potitur ra-
tionis.

S. 4.
Obliga-
mur Deum
amare ab
adoleſcen-
tia.

Unde docet S. Thomas I. 2. q.
89. a. 6. peccare illum mortaliter,
qui perveniens ad usum rationis, o-
mittit amare DEum super omnia,
quia non ordinat seipsum ad debi-
tum finem, non faciens quod in se
est. non obligat autem hoc præce-
ptum, nisi postquam per fidem suf-
ficienter illustraris de amabilitate
DEi, à quo omne tibi bonum pro-
cedit, quâ cognitione habitâ, si diu
differas, v. g. per annum actum di-
vini amoris, mortalissimè peccas.
ita peccârunt Angeli caduci, quia
non amârunt super omnia sum-
mum bonum intrâ illud temporis
punctum, quod à Creatore DEo iis-
dem fuerat indultum. Clara obli-
gationis hujusce similitudo dedu-
citur à Rege terreno vel Cæsare, qui
legitimè propositus & ut ajunt *in-
stallatus*, si à subdito & vasallo non
accipiat homagium intrâ certum
tempus, habet subditum pro læsæ
Majestatis reo, confiscanturque bo-
na omnia. Similiter quando tibi
per agnitionem Regum Rex in in-
tellectu proponitur, nisi cor eidem
offeras, perduellis & mortis æternæ
reus es.

Alteram obligationem ponunt
theologi, in tentatione valde gravi
& periculosa, unde Fernandez cen-
set hanc fuisse ultimam dispositio-
nem in Eva ut laberetur in actum
rebellionis, seu inobedientiæ, quia
tentata non dixit, non cogitavit;
diligo DEUM meum, *Et ideo in tam
bonum Dominum peccare non possum*.
Prudentius egère Abraham, Isaac,
Jacob, Joseph, tres in fornace Baby-
lonica pueri, qui quod actum amo-
ris divini in gravissimæ periculo
tentationis elicuerint, omnem me-
ruère felicitatem. Tres pueros au-
diamus virili hac se voce animan-
tes: *nunc sequimur te in toto corde,
Et timeamus te Et querimus faciem tu-
am*, hæc illos resolutio ab ignibus
præservavit æternis, & temporali e-
tiam incendio absolvit. *non aliter
progressi sunt ex camino, quàm si ex
ipso cælo prodirent* inquit S. Joannes
Chrysostomus. Josephum ab amo-
re scædo purissimus DEi amor con-
tinuit, & salutarem persuasit con-
tinentiam divinorum memoria be-
neficiorum: *quomodo hoc possum
malum facere & peccare in DEUM
tam bonum & amabilem?* Jaco-
bum in exhaustis quatuordecim an-
norum laboribus amor ita confort-
tavit, ut quamvis diu nocturque æ-
stu ureretur & gelu fugereturque som-
nus ab oculis, ut ipsemet ingenuè
confessus est Gen. 29. v. 25. dies ta-
men viderentur pauci *præ amoris
magnitudine*. Rachelis pulcritudo
stimulus & scintilla Jacobo fuit ad
amandum DEum pulcritudinis om-
nis fontem, subeundisque in illi-
us gratiam omnes labores: *laborem
servitutis* inquit S. Augustinus, *fa-
cilem Et le ven amor faciebat*, & rur-
sum: *ubi est amor non est labor*. quod
enim grave (quærit D. Gregorius)
non leviter tolerat, qui amat? levis
est Isaaco fascis lignorum, leviter ad
montem & mortem, properat levis
jactu-

S. 5.
Alter ob-
ligatio est
in graviori
tentatio-
ne.

Dan. 3.
v. 41.

S. Chry-
stomus
Hom. 8. in
ep. Eph.

S. Augu-
stin. q. 88.
in Gen. Id.
in c. 21.
Joann.
S. Grego-
rius l. 5. c.
2. in 1.
Reg. 12.

jaçtura floridæ fit ætatis, quia amat DEum, cui sese immolare gaudet in svaviffimum amoris holocaustum. Poterat Isaacus cum Sponfa dicere: *fasciculus myrrbæ dilectus meus mihi*, non qualecunque lignum, sed lignum Sacrosanctæ Crucis, in quod Messiam aliquando affigendum didicerat, sibi ferre Isaacus, ideóque & in ipso fasciculo ipsummet dilectum gestare videbatur. Pulcrè de hoc fasciculo Bernardus: *non fascem sed fasciculum dilectum dicit, quod leve præ amore ejus ducat, quidquid laboris immineat vel doloris.* Observat insuper mellifluus Doctor myrrheum fascem non cuicumque sed amanti fasciculum vocari: *mibi quæ diligo fasciculus est, nec enim levis est passionis asperitas, sed levis est amanti. unde & Dilectum nominat monstrans dilectionis vim omnium amaritudinum superare molestiam, quia fortis est ut mors dilectio.* levis Isaac lignorum fascis fuit, dulcis gladius, svavis ignis, jucunda pro DEO mors, quia amabat, & in gravi hac tentatione mandatum maximum exercebat. Sed & parenti Abrahamo ex eodem capite leve fuit iter, sive cum egrederetur ex patria, sive cum ingrederetur Ægyptum, sive cum progrederetur ad montem Moria, quia divini amoris ardor, qui ejus pectori insidebat, verba sunt D. Hieronymi, *itã omnes viarum asperitates mitigabat, ut illas quidem adire, non sentire videretur.* viæ licet duræ fuerint, Abrahamo tamen faciles amor fecit, ut dicere potuerit: *ego custodivi vias duras.* Pl. 16. v. 4. duræ sunt timori ait Augustinus, leves amoris. Faciemus & nobis ex asperis planas, ex longis breves, ex duris vias leves, si in omni gravi tentatione actum amoris divini elicere meminerimus, nè à salutis semita deviemus.

Tertia obligatio est pro articulo mortis, in quo tenetur Homo Creatorem suum tantum amare, quantum potest sine magna aliqua difficultate, ut contra hostes viriliter decertet, salutem suam affecuret, veniam peccatorum assequatur, quia juxta Testatum per actum divini amoris delentur peccata venialia, & facienti quod est in se, DEUS non denegat gratiam, finalem potissimum, quam tametsi de condigno promereri non possumus, possumus tamen de congruo. Nec sufficit amare tunc DEum amore concupiscentiæ, sed benevolentia, hoc est, super omnia, videlicet, plus quam divitias omnes, delicias omnes, honores omnes, famam, fortunam, vitam, salutem, cœlum, ut multis probat D. Augustinus tract. 5. in Joann. c. 12. Sed non speret quis actum amoris DEI in morte, qui se non exercuit in vita. sicut in somnio occurrunt illa, quæ de die phantasiæ fuere objecta, itã cum somnus mortis appropinquat, recurrunt ea, quæ charissima fuere in vita.

I. Reg. 17. armat Saul Rex monomachum Davidem ad duellum, induitque pastoritium puerum vestimentis regiis, galeam æream capiti, loricam pectori, rhomphæam lateri, sed pastorculus iste non valet incedere & se movere, unde ad Saulem conversus: *non possum sic incedere, quia non usum habeo.* v. 39. sic multis morientibus contingit, pugnandum illis est cum terribili gigante, certandum pro regno æterno, pro victoria æterna, pro gloria æterna. Libenter tibi Angelus Custos imponeret *galeam salutis, scutum fidei, loricam charitatis*, tunc oporteret sumere *gladium spiritus* Eph. 6. v. 14. sed replicatur à multis: non possum sic incedere, quia

S. 6.
Tertia obligatio in articulo mortis.

1. Theff.
5. v. 2.

P

non

Cant. 1.
v. 12.

S. Bernar.
serm. 43. in
Cant.

S. Hiero-
nymus in
antiqq.
Hebr.

non usum habeo, clamet Confessarius: Ama DEum super omnia. Ager fractâ voce reponet: non possum sic incedere, quia non usum habeo. ingerat bonus Angelus: lega substantiam tuam, non amicus, quia non indigent, non in usus profanos, quia nil prodest; sed pauperibus, quia hi maximè grati sunt: at: non possum, quia non usum habeo, vel cruciferum illibenter dedi in vivis, & jam vis ut legem millia? furdo hæc canitur fabula.

S. 7.
Praxis amoris exercenda quolibet mane.

Exerceamus itaque nos in vita, & quia tota vita per diem naturalem adumbratur cujus aurora adolescentiam, meridies ætatem virilem, senectam vespera significat, ab adolescentia cujusvis diei, primo videlicet manè amemus DEum, sitque prima occupatio evigilantis cum Anselmo dicere: *veni Domine, veni o bone Jesu!* aurora mea, lux mea, sol meus, vita mea, dies meus! jam enim pedes meos nolo, nisi ut te quæram; nolo manus meas, nisi ut tibi serviam; nolo genua, nisi ut te adorem; nolo linguam, nisi ut te laudem; nolo denique cor, nisi ut te amantissimè diligam. Dic cum Seraphino terrestri, Ignatio: *suscipe Domine universam meam libertatem, amorem tuum solum mihi dones, & dives sum satis.* pereat pecunia, dummodo non pereat in corde amor divinus, qui me solus divitem facit. conflagret domus, dummodo non extingvatur amor DEI in corde meo, habebò aliam domum, non manufactam, habitabo in vulnere lateris Christi. rapiat mors quidquid charum est, charior omnibus DEus & ejus amor est, quem mortale scelus mihi non eripiat! ita manè & sæpius interdium dic, ut idem dicas in morte. non fumus tam multum meriti, ut moriamur martyrio amoris cum SS.

Theresia, Catharina Senensi, Stanislao Kostka, desideremus saltè ex amore mori, & in hoc desiderio exerceamus nos à cujusvis infantia dici.

Notavit S. Ambrosius in Pfal. 118, quòd Saul non admisisset Davidem ad duellum cum Goliatho, nisi is demonstrasset fortitudinem ab infantia I. Reg. 17. dicenti enim Regi v. 33. *non vales resistere philistæo isti, nec pugnare adversus eum quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.* respondit David v. 36. *Et leonem & ursum interfeci ego servus tuus.* in quæ Mediolanensis Orator: *non esset admissus David, nisi fidem fecisset, quòd in sua adolescentia leonem suis manibus peremisset.* Similiter de multis ex vero dici potest: non vales resistere huic & illi tentationi per decursum diei, quia sub diei crepusculum amare, & Jacobi instar surgente aurorâ cum amore divino luctari neglexisti. multò autem veriùs in agone vitæ tuæ dicetur; non vales resistere morti, & tamen nisi vincas periisti. Hic bellator est ab adolescentia sua, quando mors adhuc juvenis fuit (mortis cunæ fuere in arbore vetita) terribiles illos gigantes, de quibus Gen. 6. v. 4. *isti sunt potentes à seculo viri famosi* debellavit, jam autem multò evasit robustior; non vales pugnare adversus eam, nisi possis dicere, quòd ab adolescentia jam te exercueris, mortem provocâris, mori desiderâris. non est enim alia ars vincendi mortem, quàm per amorem. *Omnia vincit amor* ait Virgilius Eclog. 6. *Et nos cedamus amor.* S. Augustinus verò lib. de Doctrin. Christiana: *sola charitas est, quæ omnia vincit.* charitatem hanc & dilectionem quæ fortis ut mors canitur Cant. 8. v. 6. impetrandi duo sunt media facilia, sed tertium certius. Medium primum:

S. 8.
Ab infantia morti colluctandum.

num: recole quotidie septem dolores B. Virginis. Secundum: age gratias quotidie pro conversione S. Mariæ Magdalenæ. tertium est usus & exercitium frequens: *multum differt assuescisc* ait Aristoteles 2. Eth. in hoc exerce te quotidie, si vis vincere in prælio novissimo. O si de unoquoque nostrum dici possit, quod de Moyse Deut. 34. v. 5. *mortuus est Moyses jubente Domino*, in Hebraico est, *in osculo Domini*. moritur in osculo Domini, qui in osculo Domini vixit. Goliath mortuus est in osculo terræ: *cecidit in faciem super terram* v. 49. cur non supinus cecidit? respondet Abulensis, quia terræ filius fuit, in osculo terræ mortuus est, qui in affectu terrenorum vixit. non sic Stephanus qui moriens clamat: *video cælos apertos*, non Petrus qui inversus crucifigi vult, quia in affectu celestium vixit. non sic JESUS, qui inclinato capite super Mariam ut vult Philippus Abb. in Cant. ideo spiritum emisit, quia in amore ejus vixit.

Faxit Amor Omnipotens, ut ex hoc momento incipiamus totis viribus eundem diligere, & primum, maximum, ultimumque hoc mandatum de dilectione observare in finem, observaturi post finem vitæ finè fine.

Pro Emblemate pyrobolum in aere cum tonitru expirantem fingo & inscribo: *in fine motus*. Cum expirandum est, majori Amoris motu opus est, ut nobis dent sidera plausum. Addo & Cygnum in aqua sub vitæ finem dulcius modulantem: *Suavius in fine*. Suavissimū divini amoris canticum in fine Dilecto cantemus, ut nos cantantes sublimè ferant super æthera Cygni.

§. 9.
Emblema.



P 2

PRO-